

DE COMETIS.

93

probare volui. Reliquum est, vt finē faciam iudicia illo-
rum sequens, qui non modò sapientes, sed sapientū Do-
ctores & habentur & sunt. Nam de Cometæ maleficijs,
aut beneficijs nihil Hippocrates, Plato, Aristoteles, nihil
Alexander, nihil Galen. nihil Cicero. Contra huius gene-
ris nugas disputarunt Ficinus, Politianus, Picus, & hac
nostra ætate Scaliger, & Erastus philosophi apprimè ma-
gni. Quis posthac dubitabit, & horū hominū authorita-
tē videns, doctrinamq; expēdens, Astrologorū (prudētū
honorem inuiolatū seruo) iudicia non ridēda dicet?

*Iudicia sa-
pientū de
Cometæ*

Quanquā autem à Cometa nulla est noxa, tamē post
Cometam aliqua possunt fieri, quæ timeant isti & prædi-
cant. Vulgus em̄ ubiq; vulgus, incertū, ignauum, vecors.
Facilē timet vtī facilē sperat. Quid frequētius aut minus
horrendū lunę defectibus legūt prædici. Picturas quot
annis emūt futurarū defectionū et lunę et solis. Tamē cū
ista in cœlo vidēt, iam iam ruiturum cœlū putant: labora-
re certè rerum uniuersitatem non pauci opinātur. Quod
si Cometa existat, omnia pauoris plena. Consulunt Ma-
thematicos; Astrologus Astrologiam laudat: Credunt
simplices astuto asseuerāti. Futura uerò cum sint incerta,
incertum animum huc illuc agunt. Accedunt ficti Sacer-
dotes. Ad imperitiam astus & numinis contemptus ad-
ditus omnia perturbat. Omnipotentiam Dei obijciunt.
Miracula obtrudunt. Philosophiam proscindunt: ple-
beculam formidandis uocibus terrent. Qui credunt, qui
multi sunt, animo suspenso hærent. Animos hominum
suspectos habent. Et fidei uix ulla fides. Ne similtas in
odium apertum erumpat, metuūt. Belli suspiciones bel-
lorum faciunt rumores. Nulla causa timendi certa me-
tuunt multi. Coniurationes, insidiæ, excursions immi-
nere uidentur. Pauor gignit credulitatem: & à uulgo ad
Nobiles (nisi prudentia summa obstet) formido serpit.
Populi uoces, Dei uoces esse aiunt. Occurrendum asse-
runt initijs. Muniuntur fines, firmantur præsidia. Iam sunt
belli occasiones. Hoc uiso mercator, & auarus obstruit.

*Occupatio
grauis
Vulgus*

*Sacerdos
malus*

Suspicio

*Pauor
Calamita-
tes post co-
metam, non
à Cometa.*